



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

34 Guidonis Imperatoris, & Arnulphi mors.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

rannicè sibi usurparat, ut per eundem Baro. ann. 892 §, eodem anno.

Quia verò Joannis Papæ Octavi animus erga Carolum Crassum, Ludovici Germaniæ Regis filium propensior erat, post Ludovicum secundum, eundem Carolum Romæ anno 881. in Imperatorem coronavit, idem Baro. ann. 879, §, cum Ludov. juncto ann. 881, §, hoc pariter, & Aym. 36 de reb. gest. Franc. lib. 5, c. 60 prope fin.

32 Carolo de medio sublato, Arnulphus Caroli Magni Regis filius eidem Carolo Crasso, repudiato à suis, in Regno non in Imperio successit, ut post Reginon. & alios, Baro. ann. 888, in princip. & §, eodem anno, & Vuido, aliàs Guido Ducis Spoleti filius Imperium occupavit, ut per Reginon. quem sequitur Baro. eodem annual. 888, §, qui autem, qui postea à Papa Formoso fuit coronatus, reprobata opinione scribentium, quòd eidem Carolo in Imperio successerit Arnulphus, pro Frodoard. in Histor. Rhemen. lib. 4, cap. 2, & Baro. in dièl. §, qui, autem juncto ann. 892, in princip.

33 Demum Lambertus † ejusdem Guidonis Imperatoris filius ab eodem Formoso Papa in Imperatorem inunctus fuit, Baro. ann. 893, §, ad postremum, & quòd Arnulphus non fuerit legitimus Imperator, sed nulliter coronam Imperialem ad huc Guidone Imperat. in humanis agente surripuerit pluribus probat idem Baro: ann. 986, & hac de causa cum Guido Im-

34 perator † Arnulphum insequeretur. juxta fluvium Tarum defunctus fuit, quo anno Arnulphus etiam, morbo pediculari decessit, ut post Luitprand. lib. 1, cap. 9, & 10, tradit Baro. ann. 899, tom. 10.

35 Arnulpho successit Ludovicus filius, 39

& Ludovico Chunradus Arnulphi ex alio Chunrado nepos, in quibus finem habuit progenies Caroli Magni in linea Regum Germanorum, ut post Abba. Ulpergen. tenet Bellarm. de translat. Imper. Rom. in: lib. 2, cap. 1, & post alios antiquos chronographos Baro. ann. 912, circa fin. eodem tom. 10.

36 Eodem tempore de Imperio in Italia inter Berengarium Ducem Foroliviensem, & Ludovicum Bosonis Comitis filium acerrimè certatum, post plures congressus, Ludovicus Berengarium fugavit, & Romam ingressus, à Stephano Papa Quarto coronatus Imperator, Ludovicus Quartus, fuit appellatus qui usque ad annum 904, imperavit, ut per Baro: annal: 900, in fin. quo tempore ab eodem Berengario in prælio victus, & captus,

37 Imperio, & oculis privatus fuit & Berengar. Romam armatus, exercitu accedente, coronam Imperii à Joanne Papa IX. violenter extorsit, sicque tyrannicè Imperatoris nomen sibi vendicavit, quo recedente, Lamberto Guidonis Imperatoris filio Romam vocato, qui aliàs in Imperatorem fuerat inunctus, impera-

38 toria corona solemnibus † ritibus ab eodem Pontifice fuit coronatus, & Synodo Episcoporum Romæ collecta, in eodem conventu patrum utriusque Regis causa proposita, & utriusque jūribus examinatis, in eam sententiam ab omnibus itum est, ut Berengarii coronatio, tamquā vi extorta penitus abrogaretur, Lamberti verò, in quem libera vota Rom. Pont. conspirassent, legitima esse judicaretur, ut per Baro. ann. 904, in princ. qui anno 7, sui Imperii pluribus laudibus exornatus, ab

39 Ugone † Comite Mediolan. in venatio-